



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De meditatione mortis. XXIII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

& securitas; quum necdum appareat vestigium veræ sanctitatis in conuersatione nostra. Bene opus esset quòd adhuc iterum institueremur, tanquã boni nouitij ad mores optimos, si fortè spes esset de aliqua futura emendatione, & maiori spiritali profectu.

CAPVT XXIII.

De meditatione mortis.

1. **V**alde citò erit tecum hìc factum: vide aliter quomodo te haberas. Hodie homo est, & cras non comparet. Cùm autem sublatu fuerit ab oculis, etiam citò transit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani, quod solum presentia meditatur, & futura non magis prouidet. *a* Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses moriturus. *b* Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. *c* Melius esset peccata cauere, quàm mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? *d* Cras est dies incerta, & qui scis, si crastinum habebis?

2. Quid prodest diu viuere, quando tam parum emendamur? Ah longa vita non semper emendat, sed saepe culpam magis auget. Vtinam per vnam diem bene essemus conuersati in hoc mundo. Multi annos computant conuersionis, sed saepe paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutius viuere. Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si videris aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandem viam transibis.

3. Quum manè fuerit, puta te ad vesperum non peruenturum. Vespere autem facto, manè non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viuere, vt nunquam te imparatum mors inueniat. Multi subito & improuise moriuntur. Nam hora, qua non putatur, filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita; & valde dolebis, quòd tam negligens & remissus fuisti.

D. Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte. Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, seruens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinae, labor poenitentiae, promptitudo obedientiae, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari, dum sanus es; sed infirmatus, nescio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur; sic & qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.

Isaia 30. &
31. item
Hier. 17.
& 48.
Matt. 6.

5. Noli confidere super amicos & proximos, nec in futurum tuam differas salutem: quia citius obliuiscuntur tui homines, quam æstimas. * Melius est nunc tempestiuè providere, & aliquid boni præmittere, quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso sollicitus modò, quis erit sollicitus pro te in futuro? Nunc tempus est valde pretiosum. Nunc sunt dies salutis, nunc tempus acceptabile. Sed proh dolor, quòd hoc vtilius non expendis: in quo promereri vales, vnde æternaliter viuas. Veniet, quando vnum diem seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio an impetrabis.

Rom. 5.
Luca 14.
1. Cor. 9.

6. Eia charissime, de quanto periculo te poteris liberare, quam magno timore eripere, si modò semper timoratus fueris, & de morte suspectus. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gaudere quam timere. Disce nunc mori mundo, vt tunc incipias viuere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere, vt tunc possis liberè ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tunc certam valeas habere confidentiam.

Luca 12.

7. Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas hîc securum? Quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? Quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocínio interiit, & sic omniũ finis mors est; & vita hominum, tanquam vmbra subito pertransit.

Job 14.

Matt. 6.
Luca 12.
& Galat. 6.
Luca 16.
Hebr. 11.
1. Pet. 2.

8. Quis memorabitur tui post mortem? & quis orabit pro te? Age age nunc charissime, quicquid agere potes, quia nescis quãdo morieris, nescis etiam quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites, solùm quæ Dei sunt, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei sanctos, & eorum actus imitando; vt cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula.

Hebr. 13.

9. Serua te tanquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serua cor liberum, & ad Deum sursum erectum, quia non habes hîc manentem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lachrymis dirige, vt spiritus tuus mereatur ad Dominum post mortem feliciter transire. Amen.

CAPVT XXIV.

De iudicio & pœnis peccatorum.

Hebr. 10.

1. **I**n omnibus respice finem, & qualiter ante districtum stabis iudicem, cui nihil est occultum; qui muneribus non placatur, nec